



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. De probatione matrimonii clandestini, & ejus publicatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VI.

De probatione matrimonii clandestini, & eius publicatione.

Materia hujus Paragraphi, cum hodie in partibus nostris, ubi Tridentini decretum promulgatum & acceptum est, vix utilis sit, legi potest in c. *Siquis 1. & c. Quod nobis 2. h. t.*

§. VII.

De penis matrimonii clandestini, & clam contrahentium, vel ei assistentium.

Uæ potissimum pœnæ sunt matrimonii clandestini. Prima est, quod filii ex eo geniti sint illegitimi, quamvis bonâ fide, ignorantes sui matrimonii nullitatem, parentes contraxerint, licet enim in aliis casibus, ubi propter impedimentum dirimens matrimonium, invalidè quidem, bonâ tamen fide conjugum, aut unius conjugis, suum impedimentum ignorantium, præmissis tamen denuntiationibus, contractum fuit, liberi ex tali matrimonio geniti legitimi habeantur, in favorem bonæ fidei, juxta c. *Ex tenore 14. Qui filii sunt legitimi.* in casu tamen, quo clandestinè contractum fuit (omissis scilicet denuntiationibus)

favor hic non conceditur liberis ex eo matrimonio genitis, cum parentes eo ipso, quod clam contrahere voluerint, videantur sibi malè conscii fuisse, & non bonâ fide egisse, cum neglexerint ulteriorem veritatem inquirere.

Secunda pœna est, quod separandi sint à se invicem hi tales putativi conjuges, & spe dispensationis impetrandæ careant, si in gradibus prohibitis scienter contraxerint (ita statuentem Tridentino ob contemptum Ecclesiæ) & pœna etiam arbitraria tam ipsi clam contrahentes, quam testes huic clandestino matrimonio (sine Parocho scilicet, aut debito testium numero) assistentes puniendi sunt. Parochus verò, vel alius Sacerdos ex licentia Parochi, sine testibus requisitis assistens, per triennium ab officio suspendendus est, gravius etiam puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. c. *Cum inhibitis 3. §. final. h. t.* quam tamen triennem suspensionem sublatam hodiè per Tridentinum (quod pœnam arbitriam statuit) putat Sanchez, in casu quo sine sufficientibus testibus assistit matrimonio Parochus, quæ pœna arbitraria sæpius etiam imponenda est contrahentibus, quamvis coram Parocho & testibus contrahant, si denuntiationes tamen culpabiliter omiserunt.

